

Nunquam ad Gobionum magnitudinem accedit, alioqui marinis Gobionibus simillimus. Corpore est rotundo, pellucido, dorso latiusculo, colore candido, nigris aliquot maculis asperfo, cauda varia, oculis quodammodo supra caput positus. Pinnae eadem illi, quae Gobionibus, maxime illa, quae his peculiaris, barbae instar ex ea ventris parte, in qua binae sunt in aliis piscibus, propendens. *Hepar* est lactei coloris, et in eo fellis vesica, splen rubet, *intestina* et peritoneum ex albo nigricant. *Cor* ex albo rufescit. Gravis est, et difficilis concoctu.

De *Encrasicholo* sequenti capite agemus. De *Aphyis* *Mugulum* inter istos agetur.

Apuas *MULLORVM* exiguos admodum *Mullos* arbitratur *Rondeletius*.

tius, qui in stagnis marinis ex putredine nascuntur.

Aphyas *MAENIDVM* vero pisciculos *Maenidum* specie sine mare et foemina sponte nascentes esse iudicat, et si contra sentiat *Aristoteles*.

HEPHETI seu *Hepseti* nomen, ad multos parvos pisciculos extenditur; peculiarem aliquam speciem esse, exinde, quod apud *Athenaeum* pro parvo pisciculo *Aphyarum* generis ponatur. *Rondeletius* a Gallis *Fovil* appellari credit. Est digiti magnitudine, argentei coloris, corpore pellucido, dempta ea virga, quae a branchiis ad caudam extenditur. Oculos habet depressos, pro parvitate corporis magnos. Os ita scissum, ut inferior maxilla superiori sit praetensa, sitque velut oris operculum.

ARTICVLVS. XVIII.

De *Encrasicholo* et *Atherina*.

TAB. XVII.
15.

TAB. XIX.
17. 18.

Plin. H. N.
l. 31. c. 8.

Encrasicholos, Graecis ἐγκρασίχολος, quod χολήν ἐν τῷ κρατὶ ἔχει, seu *bilis folliculum* in capite gerat, hoc est, quod ejus caput impense amarum sit, unde eo mutilari assolet, dictus; aliis λυκόσομος, quod dum oscitat, amplum os aperiat, ut serpentis potius quam piscis videatur; *Plinio*, multorum eruditorum iudicio *Lupus* nuncupatur. An *Chalcedoniis* ἐρίτμος dicatur, quod *Callimachus* apud *Athenaeum* prodidit, ἐγγράυλης quoque *Aelianus* vocat. Magnitudine est plerumque digiti, palmi longitudinem nunquam assequitur. Argenteo colore micat, tergo re ad caeruleum accedit, si soli opponatur transparet, dempta argentea linea, quae spinas vertebrae comitatur, quae sanguinem continet. *Squamis* carere falsum, vel in sale adseruatis argenteae micant. Rostrum habet acutum; os amplum, utramque maxillam ferreae modo asperam, branchias parvas duplices. *Cor* oblongum et acutum, *hepar* rubrum, maculis rotundis conspersum. Ventriculi appendices multas et nigras. Ventrem mollissimum, ideoque plerumque absumptus in salitis conspicitur. *Ovis* scatet rubentibus. Spinis caret, ea ex-

cepta, quae in dorso est, et ipsa tenuis, adeo ut vix dentibus negotium facessat. *Arena*, spurcitiis, atque coeno vescuntur. Capiuntur hyeme a Decembri ad quadragesimam usque, in Provincia numerosissime, noctu igne e naviculis accenso. Quam confertis turmis densi, metu insidiarum natent, de *Aphyis* in genere dictum est. Hanc tam confertam *Lycofomorum* natationem, βίλον a peritis nominari, *Aelianus* tradidit. De *Ortu* dissentiant *Authores*. *Suidas* et *Athenaeus* ex *Apua* *Cobite*; *Aristoteles* ex *Phalerica* oriri tradit. Satius est sui generis piscem statuere, quam vel species in infinitum multiplicare; vel ex *Apua* *Phalerica* duos diversos pisces generari, concedere. Nam et ex hac *Membradem* oriri *Philosophus* author est. In magno plerisque in locis habentur pretio. Comeduntur et crudi et sale asservati. Minutatim concidunt, cepam pariter tritam addunt, sic ex oleo et aceto asperfo pipere sumuntur, saliantur truncato capite, et fel aufertur simul. De *Garo* quod ex iis, vide *Rondeletium*. Huc referunt nonnulli λυκόσομον, cujus effigiem exhibet TAB. XLVII. 19.

Aelian. H.
A. l. 8. c. 18.